



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 102. Turmæ Cataphractorum a Rege Gallorum erecræ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV
A. C. 1444

designabant Oratores amplissima facultate instructos, salva tamen semper hac conditione, ut civitas alienæ non subderetur Dominio, & ejusdem libertates ac privilegia intacta servarentur. Rex tam Metensium constantia victus, quam exercitus sui adeo diuturnam obsidionem pertæsi languore compulsus, postulatis eorum acquievit, ea lege, ut quidem ad deditionem urbis suæ nequaquam adstringerentur, nihilominus tamen ad refundendas obsidionis expensas Regi ducenta aureorum millia numerarent, omnes bello captos absque redemptionis pretio libertati assererent, & Renato Andegavensi Lotharingiæ Duci dimitterent centum millia aureorum, quam pecuniam Metensibus debebat, & potissima ejus parte a Burgundiæ Duce libertatem suam redimebat.

§. CII.

Turmæ Cataphractorum a Rege Gallo erectæ.

Hisce concordiæ articulis utrinque subscriptis, ac executioni mandatis, Rex exercitum ab urbe discedere jussit, & militibus stipendio ex pecuniis, quas nuperissime receperat, soluto, omnibus copiis suis missionem dedit, retentis duntaxat mille quingentis, ex quibus quindecim

cim centuriæ efformarentur, quarum sin- Sæcul. XV.
 gulis suis præficeretur Centurio, & ar- A.C. 1444.
 matorum cuilibet sextuplum numerare-
 tur stipendium, scilicet, pro se, tribus e-
 quitibus sagittariis, uno scilato, & alio
 ephebo seu famulo. Sicilatum vocare
 consueverant, mutuato nomine a qua-
 dam gladii specie, qua præcinctus erat,
 quæve sica dicitur, & ab aliis pugioni-
 bus distinctam referebat formam. Hæc
 erat nova militaris ordinis constitutio,
 quam in progressu Historiæ cataphracto-
 rum turmas appellabimus. Rex adhuc
 Nancæi hærebat, cum eum Trevirensis Ar-
 chiepiscopus, & Comes de Blankenheim
 Helvetiorum, & urbium Germaniæ fœ-
 deratarum nomine convenirent, cum illo
 fœdus iniri, quod etiam felici auspicio
 confectum est. Præterea Rex cum
 Principibus Saxoniae pactum sanxerat,
 quo quivis alterius hostem invadere, al-
 terumve a quocunque hoste tueri adstrin-
 geretur, exceptis summo Pontifice, Hi-
 spaniæ, Siciliæ, Scotiæ Regibus, & Si-
 gismundo Austriæ Duce, qui Radegun-
 dem Galliæ Regis Filiam matrimonio
 sibi junxisset, nisi hujus Principissæ mors
 nimium præmatura nuptias interce-
 pisset.